

SCRIPTA

Numéro Scripta : 6910

Auteur(s) : Henri II Plantagenêt, Angleterre (roi)

Bénéficiaire(s) : Saumur, Saint-Florent (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1162

Lieu d'émission : Saumur

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Établissement des coutumes du pont de Saumur.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Berger Élie, Delisle Léopold, *Recueil des actes de Henri II, roi d'Angleterre et duc de Normandie concernant les provinces françaises et les affaires de France*, Paris, Imprimerie Nationale (Chartes et diplômes relatifs à l'histoire de France), 1916-1927, 3 vol., n° CCXXVI, t. 1, p. 364-367.

Indications

Round John-Horace, *Calendar of Documents Preserved in France, Illustrative of the History of Great Britain and Ireland*, 918-1206, Londres, Her Majesty's Stationary Office, 1899, n° 1284.

Texte établi d'après a

Henricus, rex Anglorum, et dux Normannorum et Aquitanorum, et comes Andegavorum, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, justiciis, ministris, militibus et omnibus hominibus et fidelibus suis, salutem. Sciatis quod burgenses et milites Salmuri, pro remedio animarum suarum, in tempore meo, fecerunt pontem Salmuri ligneum super Ligerim. Ego vero Salmurum veniens, super opere tam bono letatus, predictis militibus et burgensibus gratias egi, ibique postulavit me misericorditer Frogerus Petitus, tunc temporis Salmuri abbas, quatinus divine respectu misericordie abbatiam Beati Florentii de jure suo fraudari vel diminui non permetterem ; cumque jus illud, quod reclamabat, ab ipso audire vellem, dixit michi, sub legitimorum et sufficientium testimonio virorum, quod Fulco Jerosolimitanus, Andegavorum comes, abbatiam Sancti Florentii de castello in quo constituta erat in locum in quo nunc sedet transtulit ; asserebat etiam idem abbas quod idem Fulco, qui predictam abbatiam largissimis ampliavit muneribus, dedit eidem abbatie transitum carreriarum Salmuri de transverso Ligeris. Cujus rei audita et diligenter cognita veritate, quia per transitum pontis facti pedagium carreriarum perdiderat abbatia, nolui eam gravari aut de jure suo diminui. Dedi itaque Deo et predictae abbatie transitum ejusdem pontis et omnes costumae quas ibidem baronum et proborum hominum meorum consilio constitui perhenniter habendas. Sunt autem hujusmodi costume: De mercatura dabitur ibi pedagium in transitu pontis ; de asini sarcina, si sit mercatura, obolus unus ; de homine conducto ad mercaturam portandam, obolus unus ; si quis vero propriam rem suam portaverit, nichil dabit ; si vero non credetur hoc esse suum, data fide immunis transibit ; asinus, vacca et bos adducti ad vendendum, singuli dabunt obolum unum, et de porcis adductis ad vendendum similiter ; sed si porci lactentes erunt, pro sola matre dabitur obolus unus ; alii porcelli nichil dabunt ; similiter de aliquo fetu animalis

lactente nichil dabitur ; de duabus ovibus aut arietibus aut capris, obolus unus ; de sarcina equi portantis mercaturam similiter ; de equo aut equa ad vendendum adductis similiter ; de equo qui erit inter temones, trahens quadrigam cum mercatura, dabuntur denarii duo ; si vero plures erunt equi ad quadrigam trahendam, unusquisque aliorum dabit denarium unum ; res vero monachorum, militum, clericorum, monialium, famulorum feodatorum seu alicujus qui mercator non fuerit, nullum dabunt ibi pedagium. Judei, si detulerint per pontem vadimonia sua ad vendendum, dabunt denarium unum ; si non credetur Judeus, jurabit per legem suam, et sic immunis transibit. Verum quia, sicut supra dixi, milites et burgenses Salmuri tam bonum opus et utile fecerant, omnes mansiones castelli de pedagio isto liberavi, ut neque in eundo neque in redeundo de aliqua re sua pro transitu pontis aliquid darent. Ipsi vero michi sicut domino suo concesserunt quod, quando elemosinas suas dividerent, darent lessam de testamento suo ad pontem faciendum congruam juxta possessionis sue facultatem, ad consilium sacerdotis sui et elemosinariorum suorum, et heredes eorum perhenniter. Misi etiam ad capitulum Sancti Florentii Petrum Vaslini, prefectum Salmuri, et Michaelem Roberti et Briendum filium Alonis, Nicolaum de Sancto Paterno et Hamericum Achardi et Paganum Hardi et Guidonem de Balneolis et plures alios, ut scirem si capitulum vellet et concederet petitionem quam abbas suus michi fecerat et pactionem quam michi pepigerat. Reverso igitur abbate et probis hominibus meis de capitulo, qui michi dixerunt quod capitulum commune hoc idem postularet et pactionem volebat et concedebat, statui quomodo pons ille in eternum edificaretur. Pactio vero inter me et abbatem et capitulum talis est: in primo anno precepi monachis quod pontem lapideum non inciperent, in secundo vero anno faciant unam archam lapideam in Ligerim in ponte illo, in tercio anno alteram, et sic in unoquoque anno faciant unam archam lapideam, donec pons totus perfectus fuerit. Si vero pons aliquo modo frangeretur aut debilitaretur, monachi illum semper edificarent et emendarent. Iterum Judei, si per pontem duxerint equum ad vendendum, vel aliquod genus mercature, dabunt de costuma denarium unum. Quare hanc conventionem concedo et carta mea presenti confirmo, et volo et firmiter precipio quatinus predicta abbatia habeat et teneat in perpetuum redditus omnes et costumae transitus ejusdem pontis, bene et in pace, honorifice, integre et quiete et libere.

Testibus : Johanne Gosleni dapifero Andegavensi, Hugone de Cleers dapifero Fisse, Berlai de Mosterol, Guillermo Filio Hamonis, Ogis Savari, Goscelino Roognardo, Matheo de Baugi, Girardo de Baugi, Vaslet de Moncels.

Anno ab incarnatione Domini MCLXII, per manum magistri Stephani capellani.

Apud Salmurum.